

Letter 205: 5 July 1524, Strasbourg, Capito to Heinrich Stromer

The manuscript of this letter is in the Thüringisches Hauptstaatsarchiv Weimar, Ernestinisches Gesamtarchiv, Reg. O 157b, ff. 639r-640r; it is printed in J. E. Kapp, *Kleine Nachlese einiger zur Erläuterung der Reformationsgeschichte nützlicher Urkunden*, (Leipzig, 1727), 2:610noLIV.

V. Fabritius Capito ad Doctorem H. Stromerum Aurbacchium.

Hic omnia sunt in motis.¹ *Principes adversus Dominum et Christum eius*² conspirant. Agunt strenue pro obliterationa salute.

5 Est opidulum sex milia abhinc distans, ex quo dum per Ferdinandum eiiceretur concionator, centum et quinquaginta cives simul aufugerunt, qui hic nobiscum degunt. Agitur pro redimendis miseris. Nam interim aliorum fruuntur elemosynis. Sexcentis armatis opidulum iam tenetur, tres, quos fugitivos anteverterant, torserunt acerrime, causa exquirende seditionis destinate. Hoc nimirum titulo publica prope bella in nos gliscant. Ad hunc mensem undique exagitantur et quidem locis densissimis pii concionatores. Nostra respublica verbum suscepit.

10 Turegium, pagus validissimus Helvetiorum, nobis veterem ecclesiam refert. Nusquam adhuc vidi tantam verbi potentiam, adeo immutata sunt omnia, superstitio, impietas, luxus, qui quidem amplissimus illic floruit, ut ardor belli, quo prorsus ea gens insaniebat antea, praeterea aurum potenter reiiciunt. Quodsi has procellas proiiceremus, omnino video fore splendidiora omnia, et adversarios infirmiores. Nos hic fortissime adheremus verbo, contemptis minis, quae
15 quotidie ad nos perferuntur.

Argentina perfugium est fratrum exulum. Huc omnes devenerunt, undique expulsi, et hinc iterum ad verbi ministerium emittuntur. Hui quid audio, tandem pervicit Benno, ut papisticis sacris remergeret in lucem hominum, canonizatus ab his, qui ab omni canone religionis longissime distant. Iunctis omnibus tyrannis, triumphamus in Christo. Empti sunt, qui mihi
20 privatim mortem inferant, bis frustra adorti, neque evadam, nisi cum grandi miraculo Dei, quae res una nuptias, ut aperte dicam, impedivit. Argen. 5 Iulii anno 1524.

V. Fabritius Capito.

¹ Kapp: motu.

² Acts 4:26.